

3. Atqui non potest esse verax; nam veracitas eius *ratione directa* proportionata est intensitati tum attentionis in percipiendo et reminiscendo, tum ipsius perceptionis reproducendae, *ratione autem inversa* temporis ante recordationem elapsi. Ut igitur veracitas memoriae possit esse perfecta, aut tempus elapsum deberet esse infinite parvum, aut intensio perceptionis et attentionis infinite magna. Atqui neutrum haberi potest. Ergo memoria ex se non potest esse perfecte verax (Langen apud Gutberlet, Psychol. p. 104).

Rsp.: Experientia docet: 1º nos nonnunquam testimonio memoriae absolute fidere posse;

2º Illam proportionem ratione temporis non valere, siquidem rei ex longo tempore factae maiore cum claritate nonnunquam recordamur, quam rei quae heri facta est, e. g. senes iuventutis recordantes.

3º Argumentum non probaret, nisi illas conditiones requiri ad memoriam infinite perfectam, non vero ad memoriam *simpliciter veracem*.

Caput III: De fonte externo veritatis sive de auctoritate.

1. *Notio auctoritatis*: Licet ex fontibus usque modo enumeratis veritates plurimae acquirantur, magna tamen pars cognitionum ab aliis hominibus nobis traditur. Actus, quo hoc fit, vocatur *testimonium*, quod est fons (qui) obiectivus; actus vero, quo testimonium a nobis suscipitur, vocatur *fides*, et est fons subiectivus (medium quo). (Haec autem fides nullo modo confundenda est cum illo actionis, quo Kant, Fichte, Reid, Jacobi, Günther et alii putant, nos res non sensibiles percipere, quem actum in falso suo systemate non recte fidem vocant.)

2. *Natura auctoritatis*: In hoc autem testimonio tria consideranda sunt: a) *Testis*, qui notitiam tanquam veram nobis communicat; et est testis *immediatus*, si ipse quod manifestat, vel ratione vel experientia tum interna tum externa didicit; est *mediatus*, si quod communicat, ab aliis didicit. Porro uterque potest iterum esse *testis oralis*, si viva voce notitiam tradit; *scriptus*, si litteris, monumentis etc. hoc facit.

b) *Veritas manifestata*, quae est *materia testimonii*; et potest esse *dogmatica*, si doctrina aliqua traditur; *historica*, si factum historicum manifestatur.

c) *Vis testimonii* et consequenter *ratio assensus in testimonium*, quae est *auctoritas testis*, qua fidem nobis imponere potest; et haec auctoritas est *divina*, si Deus infallibilis ipse sese revelat; est *humana*, si quis homo quaedam tradit. Haec vero auctoritas constituit *formatum testimonii*. Patet, non sensu morali, sed logico auctoritatem hic considerandam esse.

3. *Conditiones necessariae*: Ut autem auctoritas adsit, requiritur in teste: a) *scientia rei*, ut possit verum manifestare; b) *veracitas*,

qua *velit* verum dicere. Quae quidem in testimonio divino semper adsunt, non vero in testimonio humano, unde ea adesse constare debet, ut testimonium humanum sit certum.

Addendum autem est, tunc solum scientiam et veracitatem testis esse probandam, si ratione longi temporis, vel locorum distantiae, vel naturae facti relati, vel conditionis testis *dubium prudens* oriatur, num adsit debita auctoritas. Si vero nullum dubium prudens adest, fidendum est iuxta axiomata: Nemo praesumitur malus, nisi probetur; omnes sciendi sunt cupidi; nemo gratis mendax.

Neque vero ideo veritati testatae assentimur formaliter, quia de scientia et veracitate testantis constat — hoc enim esset ratiocinium, cuius terminus medius esset testimonium — sed assentiendum est formaliter propter auctoritatem testantis; eius scientia autem et veracitas se habent tanquam fundamentum fidei, vel conditio, qua auctoritas ipsa manifestatur, sicut in syllogismo perceptio consequentiae est conditio assensus in conclusionem, ipsa autem consequentia in se est formalis ratio assensus. Differt autem auctoritas a consequentia in syllogismo, quia haec veritatem et formalem et materialem simul exhibet et intrinsece cum ipsa connectitur; auctoritas vero potest esse sine actuali testimonio, cum quo solummodo extrinsece connexa est, quum eadem auctoritas multa nobis revelare possit. Fides seu auctoritas docet, *num* res sit; ratiocinium simul dicit, *cur* res sit. Patet autem, auctoritatem, ut certam semper veritatem exhibeat, supponere alios fontes veritatis, praesertim experientiam et intellectum, ac proinde non adaequate ab aliis distinguiri.

4. *Certitudo auctoritatis*: Certitudo, quam testimonium gignit, per se solum est moralis, quae est quidem vera, sed imperfecta certitudo. Dico *per se*; nam *per accidens*, sc. exclusis erroris fontibus, i. e. testium scientia et veracitate certo probata, potest nonnunquam reduci ad physicam et metaphysicam certitudinem (et maiorem efficere assensus firmitatem, quam certitudo physica vel etiam metaphysica). Unde illos scepticos refutamus, qui auctoritate non putant effici nisi probabilitatem, vel non certitudinem philosophicam, vel qui saltem miracula auctoritate non certo manifestari arbitrantur. — Quum in testimonio verum ipsum in se menti non appareat, sed in signo auctoritatis quamvis certo, requiritur semper voluntatis determinatio ad assensum certum fide praestandum, ac proinde meritum aliquod adest vel naturale vel supernaturale (cfr. supra p. 126 sq.).

5. *Utilitas et necessitas auctoritatis*: Apud omnes constat, auctoritatem esse fontem veritatis omnium fere uberrimum. Innumera enim cotidie discimus testimonio aliorum tum quoad doctrinas et scientias, ad quas acquirendas vel tempus vel vires nobis non sufficissent; tum quoad facta historica, ita ut auctoritate aliena quasi fines temporis et spatii transilientes discamus, quae saeculis praeteritis vel locis longe distantibus evenerint, (totamque historiam memoria amplectamur). Immo hic fons cognitionum, natura nostra attente con-

siderata, prorsus necessarius est tum infantibus, tum adultis non solum indoctis, sed etiam eruditis. Neque enim posset esse ulla educatio, doctrina, historia, societas, familia, vita communis, nisi auctoritas, sive testimonia humana admitterentur; neque ulla posset esse religio revelata, auctoritate divina vel humana destructa.¹⁾) Unde non probandum est, hunc fontem auctoritatis novas cognitiones nobis supeditare — hoc enim apud omnes constat — sed potius probandum est, certam gignere notitiam.

Thesis XX: Testimonium historicum humanum orale vel scriptum sub debitis conditionibus veram in nobis gignit certitudinem.

St. qu.: 1^o In thesi non agitur de testimonio dogmatico, quod doctrinam intellectu et ratione inventam vel probandam tradit(e. g. mathematicam, philosophiam), quia haec potius est obiectum mentis, non auctoritatis; licet enim in re peritis, ut dicunt, sit credendum, in veritatibus tamen rationalibus tantum valet auctoritas, quantum valent rationes.) Nobis igitur solum testimonium historicum est tractandum, quod aliis temporibus vel locis *facta* refert, eaque, facta *externa*, i. e. sensibus obvia; mere enim interna difficile probantur. Neque testimonium divinum per se consideramus, quia hoc ad theologiam spectat; per accidens tamen hic tractatur, in quantum non nisi testimonio hominum nobis primo constat, Deum sese revelasse. (Deinde bene advertendum est, non agi de interpretatione vel conclusionibus, quas scriptores historici, falsis ideis nonnunquam praecoccupati, ex factis historicis deducunt, sed de *sola existentia facti historicici*.)

2^o *Testimonium orale* non significat qualecumque rumorem vel famam vulgarem, sed testimonium immediatum vel mediatum, quod traditione continua et constanti usque ad factum ipsum pertingit. *Testimonium scriptum* comprehendit et libros et monumenta quaeunque (aedificia, statuas, monetas etc.), quae certum cum facto relato habent nexum.

3^o *Conditiones requisitae ad auctoritatem testis admittendam* sunt eius *scientia et veracitas*; pro testimonio autem scripto insuper requiritur eius *authentia*, i. e. *origo* ab auctore nominato et *integritas* eius continue servata.

4^o Non affirmamus, auctoritatem nunquam fallere posse vel semper certos nos reddere, sed affirmamus non fallere a) *per se et in genere*, ita ut non solum probabilitatem, sed saltem *naturalem certitudinem moralem* gignat; *per accidens* autem, i. e. propter defectum aliquem vel scientiae vel veritatis in teste posse fallere. b) Si autem conditiones requisitae adsunt, haec certitudo naturalis

¹⁾ Cfr. S. Augustinum, *De utilitate credendi*, cap. 12.

etiam *philosophice* certa est; (immo si de conditionibus illis constat cum certitudine physica vel metaphysica, testimonium potest gignere etiam certitudinem physicam et metaphysicam, i. e. absolutam, ita ut nonnunquam vel naturae humanae vel principio causalitatis sive rationis sufficientis repugnet, testimonium aliquid fallere.)

5^o Adversantur nobis ex una parte *Rationalistae*, qui auctoritatem non tanquam fontem veritatis certae, praesertim quoad revelationem supernaturalem, admittunt, necnon Protestantes, reicientes traditionem Ecclesiae Christi saltem oralem, non videntes, traditionem scriptam supponere iam oralem. Ex altera parte *Traditionalistae*, qui omnem veritatem et certitudinem ex fonte auctoritatis sive divinac sive humanae hauriendam esse docent. Nos autem medium viam inter utrumque extremum tenentes, statuimus, auctoritatem per se gignere veram, quamvis imperfectam, certitudinem aliosque fontes veritatis non excludere, immo supponere. Neque enim existentia ipsa auctoritatis ut fontis probari, neque distinctio veri testimonii a falso fieri potest, nisi alii fontes veritatis admittantur; experientia et intelligentia.

I. Testimonium historicum humanum per se et in genere gignit naturalem certitudinem moralem.

Prob. 1. Ex natura fontis cognitionis: Auctoritas est fons et medium cognitionis a natura sociali humana institutum, estque fons uberrimus et medium utilissimum, immo saepe omnibus hominibus maxime necessarium et quoad multas res unicum veritatis, ut supra ostensum est. *Atqui* repugnat et facultati cognoscendi et naturae seu auctori naturae, nos habere medium, quod obiectum suum ex se non perfecte attingere possit, e. g. quod verum non certo referat. *Ergo* auctoritas per se moralem gignit certitudinem.

Dico *per se*; potest enim per accidens fieri, ut testis aliquis fallat, sed hoc neque ex inde facultatis neque ex intentione et ordine naturae fit, sed per defectum aliquem humanae voluntatis, ad quam non solum mendacium, sed etiam omnis error aliquo modus reducendus est, ut ostendimus thesi V)

2. Ex natura certitudinis moralis: Certitudo moralis nititur legibus moralibus, ut thesi IX ostendimus, sc. homines rite applicare sensus aliasque facultates cognoscendi et per se veraces esse. *Atqui* illae leges morales revera existunt; viget ordo moralis; homines enim in genere sunt sciendi cupidi¹⁾, praesertim si agitur de factis externis quae attentionem, immo nonnunquam admirationem excitant; deinde homines in genere sunt veritatis amantes, neque quisquam mendax haberi vult; et est axioma: nemo malus prae-

¹⁾ Aristoteles, *metaph.* I, 1. De Smedt, *Principes de critique historique*, Paris, 1883, p. 61 sq

matur, nisi probetur. *Ergo certitudo moralis (in genere) adest in testimonio.*

(Dico *in genere*; unde quotiescumque non est dubium prudens vel de scientia vel de veracitate testis, hominibus credendum est, et adest *naturalis certitudo moralis*. Exceptions igitur et errores probandi, non supponendi sunt, et certe, maxima esset iniuria, si quem a priori mendacem haberemus.)

3. *Ex absurdis*: Nisi auctoritas per se gigneret certitudinem moralis naturalem, de vita humana, praesertim sociali et communi, desperandum esset; nam saepissime nobis agendum est et quidem in rebus tum ad vitam terrestrem (fides filiorum parentibus, civium magistratibus, iudicibus, fides quoad cibos et potus etc. praestanda), tum ad vitam aeternam (fides revelationi, ministris fidei et sacramentorum etc. exhibenda) maxime necessariis, quin prius in conditiones requisitas expresse inquirere possimus. *Atqui repugnat, vitam humanam, praesertim socialem et religiosam, fallaci vel incerto constitutam esse fundamento.* *Ergo auctoritas gignit per se certitudinem moralem.*

II. *Auctoritas humana saepe gignit etiam philosophicam certitudinem vel moralam vel physicam vel etiam metaphysicam, si conditiones requisitae vel moraliter, vel physicice, vel metaphysice sunt certae.*

(Nota, adesse certitudinem philosophicam, si reflexione mentis motiva assensus distincte et clare apprehendantur; unde certitudo de re testata philosophica adest, si scientia et veracitas, quibus ntitur testis auctoritas, per reflexionem mentis clare percipientur. Iam vero potest esse, ut de una vel altera conditione adsit sola certitudo moralis, orta ex testimonio hominum; tunc certitudo nostra de testimonio accepto erit tantum moralis; si vero de scientia et veracitate testis adest physica certitudo ex experientia nostra orta, certitudo auctoritatis erit physica; si tandem utraque conditio auctoritatis metaphysice certa fuerit, etiam persuasio nostra de re testata erit metaphysica. Difficultas autem in eo est, ut ostendatur conditiones requisitas adesse; ac proinde nobis hoc potissimum demonstrandum est, posse *saepe constare idque certitudine vel morali vel physica vel etiam metaphysica, adesse duas illas conditiones.* Quodsi de his conditionibus, facta inquisitione, saltem moraliter non constet, testimonio humano certus assensus praestans non est, et si nihilominus praestatur, error inde sequens homini imprudenter assentienti tribuendus est.)

A. *Potest saepe constare de testis immediati scientia et veracitate.*

1. *De eius scientia*: Ad factum historicum externum certo percipiendum non requiritur, nisi ut sensus sint bene dispositi et bene applicati. *Atqui de hac dispositione et applicatione potest constare.* *Ergo potest etiam de scientia testis constare.*

Maior patet ex thesibus de veracitate sensuum.

Prob. minor: a) Sensus sanos esse et bene dispositos facile constat, quia 1^o sanitas illa et bona dispositio sunt *status ordinarius* in hominibus, defectus vero solum est *per accidens et raro*; unde si nullum est de hac re dubium positivum, est supponendus status ordinarius; b) defectus aliquis

in hac re tum ab ipso teste, tum ab iis, quibus testatur, facile deprehenditur; 3^o testis potest esse nobis aliunde optime notus tanquam sanus et bene dispositus; 4^o sunt facta quaedam adeo evidenter, illustria, publica, ut ne „lippes“ quidem fugere possint, e. g. defectus solis; sanatio claudi; resurrectio mortui. — Advertendum tamen est, eiusmodi facta illustria, publica non requiri ad certitudinem moralem *per se constituendam*¹⁾, sed *maiores gradum efficiunt.*)

b) Sensus bene applicatos esse, etiam facile constat, quia 1^o homines sciendi, audiendi, cupidi, sensus in genere bene applicant; 2^o praesertim, si facta sunt illustria, mirabilia, publica, maximi momenti, quae omnium attentionem excitant vel admirationem; 3^o testis diligentia et prudentia in factis observandis potest mihi esse aliunde nota; 4^o potest ipse testis me de sua sensuum diligenti applicatione certum reddere, si iam *aliunde* constat, eum esse veracem.

(*Atqui si constat, sensus testium bene dispositos fuisse et applicatos, moralam saltem in nobis gigni philosophicam certitudinem de testis facti historici scientia patet. Iam vero saepe etiam physicice constat iam de unius testis sensuum sanitatem, bona dispositionem, applicationem per immediatam nostram testis observationem, quae fit per sensus nostros secundum leges naturae; tunc igitur etiam physicice certus fio de scientia testis.*)

Si autem *plures* sunt testes diversae omnino conditionis, ab invicem independentes (e. g. testes miraculorum Domini), praesertim si factum est publicum et illustre (e. g. existentia Romae; miraculum in conspectu multorum factum), non potest de hac testium scientia, i. e. de sanitate et recta applicatione sensuum dubitari, quin ipsius naturae vel anchoris naturae veracitas, (i. e. ordo metaphysicus negetur; repugnat enim, Deum omnibus illis hominibus dedisse facultatem ineptam cognoscendi; unde *metaphysica* tunc de testis scientia oritur certitudo. *Ergo certitudo de testis scientia potest esse tum moralis, tum physica, tum etiam metaphysica.*)

2. *De testis veracitate, etiamsi unus sit, potest constare*: a) si eius probitas iam aliunde nota est, ac proinde iniuria esset, de illa dubitare; b) si nulla est ei utilitas mentiendi et mendacium facile detegi posset, (quia de facto publico vel mox publicando agitur, et quia multi sunt, quorum interest, fraudem detegere (e. g. apostolorum praedicatio de Christi miraculis, passione et resurrectione); nemo enim gratis mendax;) c) a fortiori vero, si ei damnum, immo mors pro testimonio exhibito timenda seu preferenda esset (e. g. apostoli pro fide Christi in vincula coniecti, puniti, mortui); nemo enim sana mente in se est crudelis sine ratione sufficiente.

Si vero testes sunt *plures*, multo facilius et certius de eorum veracitate constare potest, quia a) facilius est, fallaciam multorum conspirantium multa contradictione detegere (e. g. Daniel convincens Susannae calumniatores; accusatores Domini: „non erat consentiens testimonium eorum“). b) Saepe vero impossibile est propter distantiam locorum et temporum, testes plures inter se conspirare ad homines decipiendo (e. g. prophetarum consensus cum narratione evangeliorum, Danielis propheta de 70 annorum hebdomati-

¹⁾ Stöckl, Lehrbuch der Philosophie, 1892^r, I, 314. immerito hoc exigit.

bus); c) propter defectum causae seu utilitatis in hominibus, qui religione, lingua inter se differunt, qui nullam ex mendacio haberent utilitatem; immo qui haberent rationes factum negandi et tamen confitentur, e.g. (Flavii Iosephi sacerdotis Iudaei testimonium de Christi doctrina et miraculis; testimonium paganorum de fide et vita primorum christianorum; confessio adversariorum de Pontifice Romano; d) praesertim si pro testimonio suo poenas vel mortem subire deberent (e. g. Apostoli et Martyres).

Atqui si constat de veracitate testis simul cum eius scientia, saltem *moralis* certitudo in nobis gignitur. Iam vero potest esse, ut de hac veracitate etiam *physice* constet. Est enim lex naturae nostrae omniumque prima, ut tendamus in nostram felicitatem. *Atqui* qui nullam mentiendi haberet utilitatem et prae oculis videret damna et poenas tum in hac, tum in altera vita pro mendacio suo preferenda, immo hic et nunc deberet preferre et tamen deciperet, hanc legem naturae suae *physicae* infringere et destruere deberet. *Ergo* de veracitate testis etiam *physice* potest constare; sic *physice* repugnat, apostolos mundum decepisse.

Quin etiam si *plures* testes inter se independentes, qui ex causis supra sub b, c, d allatis non possunt conspirare, idem testantur, *metaphysice* quoque de eorum veracitate constat. Est enim principium metaphysicum, non esse effectum sine causa proportionata. *Atqui* ille consensus plurium in mendacium impossibilis est; esset enim effectus sine causa sufficiente. Ergo etiam causa huius consensus, i. e. defectus veracitatis impossibilis est; constat igitur saepe metaphysice de veracitate plurium testium. Sic e. g. *metaphysice* repugnat, et amicos et inimicos Christi de eius vita et miraculis consentire, nisi verum esset testimonium¹⁾; *metaphysice* repugnat, scriptores ecclesiasticos et ethnicos coaeuos mentiri, facta miraculosa, quae in templo Hierosolymis iussu Iuliani Apostatae reaedificando accidebant, uno ore referentes²⁾.

Coroll. I. Quando igitur tum de scientia, tum de veracitate testis metaphysice constat, testimonium in se erit *metaphysice* certum; si vero una vel altera conditio testimonii solum *physice* vel *moraliter* certa est, etiam ipsum testimonium est *physice* vel *moraliter* certum, etiamsi altera conditio metaphysica gauderet certitudine; nam „peiores sequitur semper conclusio partem“.

II. Quotiescumque igitur factum aliquod *certo* nobis refertur, admittendum est testimonium, licet factum ipsum nobis mirabile, immo incomprehensibile videatur; modo ne apertam involvat contradictionem *metaphysicam*; unde etiamsi esset praeter leges *physicas* nobis notas (miracula), credendum esset; contra factum enim, ut dicunt, non valet argumentum. Et historia docet, non semel homines scientiae naturalis expertos aliquid impossibile habuisse, quod postea tanquam factum comprobatum fuerit, e. g. revolutio terrae; lapides „de coelo“ cadentes (*Meteoriten*)³⁾.

B. Potest etiam constare de testimonio mediato.

(Testimonium mediatum est fide dignum, si per ipsum potest mihi constare de testimonii primi immediati veritate. *Atqui* per testimonium mediatum

¹⁾ Cfr. Gutberlet, Lehrb. der Apologetik, 1888, II, 175 sq. ²⁾ Cfr. Schuster, Handbuch der bibl. Geschichte, 1891^b, II, 672; Laacher Stimmen, XVIII, 52 sq.

³⁾ Vide Braun, S. J., Kosmogonie, 1895² p. 337. Natur u. Offenbarung 1896, pag. 449 sq. Schneider. Der neuere Geisterglaube, p. 338 sq.

potest mihi saepe constare de veritate testimonii immediati. *Ergo* testimonium quoque mediatum fide dignum est.

Probo maiorem: Tota certitudo veritatis testatae in testimonio mediato dependet tum ab auctoritate testis primi immediati, tum ab auctoritate testium intermediorum. *Atqui* auctoritas testis primi i. e. *immediati* constat per testem primum mediatum, huius iterum auctoritas constat per testem secundum mediatum et ita porro usque ad ultimum testem mediatum; huius vero auctoritas per me ipsum constat; est enim testis mihi immediatus, qui quodammodo auctoritatem omnium testium intermediorum usque ad primum immediatum mihi reprezentat. *Ergo* per testem mediatum potest mihi constare auctoritas testis immediati primi ac proinde ipsa veritas testata.

Probo minorem: Aut unus vel pauci sunt testes intermedii, aut multi. *Atqui* in utroque casu potest saltem saepe constare de auctoritate testium intermediorum. *Ergo* saepe constat de veritate aliqua testata, licet pauci vel multi sint testes intermedii.

Nam 1. si testis intermedium est *unus vel pauci*, possunt mihi ex experientia vel *propria* vel *aliorum* esse noti tanquam homines omnino sani, sobrii et prudentes, qui non caeco modo credant; (et tanquam homines simul *veraces*, qui neque utilitate neque damno quodam permoveri possint, ut alios decipiant, immo potius morerentur, quam homines fallerent, praesertim in re gravi; et haec certitudo potest, sicut in prima parte expositum est, tum *moralis*, tum nonnunquam *physica* vel *metaphysica* esse.)

2. Si testes intermedii sunt multi, licet tunc maior sit difficultas auctoritatem singulorum testium investigandi ac proinde maior diligentia adhibenda, potest tamen iterum haberi certitudo et *moralis* et nonnunquam *physica* vel *metaphysica*, quando a) *tota series* cognoscitur ex testibus constare probatis, e. g. si testes sunt homines graves, vel in dignitatibus constituti, quorum intersit memoriam conservare et traditionem, e. g. traditio ecclesiastica per antistites ecclesiarum, praesertim si accedunt scripta vel monumenta, instituta publica, festa, consuetudines etc.; e. g. (testimonium de proprietate aedificiorum, agrorum, de terminis agrorum, lapidibus positis, de generatione in generationem traditum et actibus publicis insertum (*Kataster*, *Grundbuch*); vel traditio patrum primaevorum, qui vivebant per multa saecula tanquam testes revelationis primaevae et fontes traditionis generis humani.)

b) Si *plures series* testium existunt sibi coordinatae et independentes, ut una per aliam examinari et confirmari possit. Patet, tunc maximam et saepe *metaphysicam* nasci certitudinem veritatis testatae, quum causa consensus testium inter se *independentium* non possit esse vel casus aliquis, vel *conspiratio*, sed ipsa rei veritas. Iam vero triplici modo series testium sibi coordinatae fieri possunt: 1^o si unus testis immediatus pluribus testibus intermedii factum communicaverit, e. g. patres primaevi viventes per multa saecula; patet, tunc crescere auctoritatem testis immediati; 2^o si plures testes immediati eidem testi mediato rem manifestaverint; tunc crescit auctoritas testis intermedii, e. g. evangelistae; 3^o si plures testes immediati pluribus testibus mediatis factum revelaverint; tunc plures exsurgunt series coordinatae independentes, quarum consensus maximam gignit certitudinem. Sic

Evangelistae facta, quae narrant, vel ipsi videntes, vel ex multis testibus immediatis percipientes multis iterum communicabant.¹⁾

c) Tandem potest esse auctoritas quaedam constituta humana vel divina, quae traditionis sinceritati invigilet, (sicut iudices publici leges et proprietatem civium custodiunt. Licit ad traditionem mere humanam conservandam eiusmodi auctoritas nulla inveniatur, existit tamen quod traditionem divinam a Deo in ecclesia instituta, quae est „columna et firmamentum veritatis“²⁾, „adversus quam portae inferi non praevalebunt.“³⁾ Veritates hoc modo testatas certissimam mereri fidem, nemo est, quin videat.

Coroll. Si traditio per longum tempus conservanda est, tanquam potissimum medium adhibetur scriptura, quippe quae facilis integra et immutata permaneat, quam traditio in ore hominum. Quare *continuitas* traditionis i. e. eius origo ex tempore facti relati, et *constantia* sive *integritas* i. e. eius immutata conservatio documentis scriptis sive libris sive monumentis (cogita monumenta babylonica et aegyptiaca) facilis certiusque probatur. Attamen *per se* traditio non indiget scriptis, quia haec semper oralem traditionem supponunt. Traditio oralis est medium ordinarium et primarium a natura ipsa institutum, unde homines habent facultatem loquendi a natura, non autem scribendi. Immo Christus apostolos non jussit scribere, sed viva voce docere (Matth. 10, 7; Marc. 16, 15; Luc. 9, 2; Rom. 10, 17; II Tim. 2, 2). Quare s. Augustinus: „Evangelio non crederem, nisi me moveret ecclesiae catholicae auctoritas“ (lib. contra epist. fundamenti c. 5.) Neque *per se* requiritur, ut illa scripta eiusdem temporis sint ac facta narrata; alioquin libri historici quam plurimi e. g. Herodoti, Thucydidis, Livii etc. non mererentur fidem, dummodo de scientia et veracitate auctoris constet. Porro hic defectus temporis potest suppleri eo quod illa scripta nitantur scriptis prioribus iniuria temporum deperditis, vel quod facta narrata sint omnino verisimilia, si ratio temporis vel locorum habeatur.]

III. Testimonium *scriptum* certitudinem gignit, si constat de *authentia* libri et de *auctoritate* scriptoris. *Atqui* de utroque constare potest. Ergo etiam testimonium *scriptum* gignit veram certitudinem.

(*Maior patet*; nam tota ratio testimonii scripti recipiendi in eo est, ut constet, quis quid scripsit et num recte et sincere scripsit; et si utramque conditionem moraliter vel etiam physice seu metaphysice certo adesse probatum fuerit, testimonium *scriptum* moraliter vel etiam physice seu metaphysice certum erit.

Prob. minorem: 1. Potest constare de *authentia* libri, quae comprehendit: a) *eius genuitatem*, i. e. esse scriptum ab auctore cui tribuitur, ac proinde non esse spurium; deinde b) *eius integratatem*; i. e. non esse corruptum, saltem in essentialibus. *Atqui* saepe

A) *genuitatem* libri potest certo probari 1^o iam ex criteriis internis: a) negative, si nulla ratio in libro ipso contra genuitatem (tempus, conditiones scriptoris) appareat; et hoc modo plerique libri veterum traditione innixi tanquam authentici admittuntur, licet positivae rationes saepe infirme videantur;

¹⁾ Luc. I, 1; II Timoth. 2, 2. ²⁾ I Tim. 3, 15. ³⁾ Matth. 16, 18.

b) si, quae liber continet, concordant cum indole, stilo, tempore, conditionibus auctoris, e. g. libri S. Scripturae tum veteris, tum novi Testamenti; c) si, quae continet, aliis temporibus vel alii auctori non innotuerint, e. g. didrachma pro templo Hierosolymis solvendum (Matth. 17, 23); sabbatum secundum¹⁾ (Luc. 6, 1).

Sed addendum est, criteriis internis non nimium tribuendum esse, quia argumenta praebent saepe incerta; sic stilus auctoris eiusdem non semper idem est, neque ullus auctor omnia, quae suo tempore evenerunt, vel semper sine ullo errore vel imperfectione, omissione etc. refert. Unde hypotheses rationalistarum de origine librorum canonis sacri, quae internis fundantur criteriis et repugnant aliis criteriis internis²⁾ ac potissimum testimoniis expressis, plerumque sunt reicienda, et sententiae criticorum historicorum de auctore vel tempore originis librorum ex criteriis mere internis raro sunt convincentes et caute accipiendae.

2^o Ex criteriis externis, et haec sola sunt convincentia: a) si testimonia de auctore libri usque ad ipsum sive eius tempus serie continua pertingunt; hoc constat e. g. de libris Novi Testamenti³⁾; b) si testes graves antiquissimi citant textus auctoris et quidem diversi diversos textus vel ad verbum vel saltem ad sensum (sic iam immediati discipuli apostolorum: Clemens Romanus, Ignatius Antioch., Polycarpus, Papias et eorum iterum discipuli immediati citant libros sacros); c) si et amici et inimici de auctore consentiunt, sicut iterum in libris sacris apparet; d) si versiones et quidem inter se independentes non multum post auctorem ortae sunt, e. g. Itala, Peschito saec. II; e) si ipsum autographum auctoris adhuc exstat, vel saltem apographa eaque vetusta, multa, inter se independentia et sibi concordantia, quod iterum in libris sacris multo magis apparet, quam in omnibus librulis profanis veterum⁴⁾, quos tamen sine ulla difficultate genuinos habemus. Atqui vivo auctore impossibile est, librum eius nomine supponere, si constat fuisse longe lateque sparsum, ubique notum, quin auctor contradixerit vel saltem eius coaevi, praesertim si liber ille, ut libri sacri, onera et officia imponit; immo si pro ipsis moriendum est. Ergo potest de genuinitate libri constare idque moraliter certo, quae certitudo moralis nonnunquam etiam ad physicam vel metaphysicam reduci potest.

B) Etiam *integritas* libri potest saepe certo probari, quia 1^o si liber tempore auctoris erat notus et multo divulgatus, sine repugnantia auctoris non potuit corrumphi; e. g. evangelia; sic S. Petrus iam obstitit depravationibus epistolarum S. Pauli (II Petr. 3, 15, 16); 2^o neque postea fuit corruptus, si ea, quae hominibus, quorum interesset libros corrumpere, displicent (praecepta gravia, opprobria etc.), non fuerunt immutata (e. g. peccata, clades populi Israelitici); 3^o si auctoritas aliqua providebat integritati, vel si liber ille erat in usu publico tanquam norma vivendi; sic libri sacri in ecclesia diligenter conservati, fidelibus preelecti, sancte custoditi, a spuriis anxiis distincti⁵⁾; 4^o si versiones, codices manuscripti consentiunt, licet sit magna copia; sic mille fere manuscripta N. Test. prorsus consentiunt.⁶⁾

¹⁾ Cfr. Belser, Zur Evangelienfrage, Theol. Quartalschr. 1898, II. ²⁾ Cfr. Gutberlet, l. c. p. 153. ³⁾ Cfr. Gutberlet, l. c. p. 147. ⁴⁾ l. c. ⁵⁾ Cfr. Gutberlet, l. c. 156. ⁶⁾ Cfr. Disteldorf, Compend. theol. fundam. p. 85.

Et haec certitudo *integritatis* libri, per se moralis, nonnunquam potest reduci ad *physicam vel etiam metaphysicam*. Ergo omnino certo de ea constare potest.

2. Potest etiam constare de *auctoritate* scriptoris, et quidem: a) *de sensu scripti*, ex cognitione linguae auctoris, significationis verborum; deinde ex cognitione consuetudinum, legum, morum, vitae publicae et privatae illius temporis et loci. Atqui haec omnia scientiae diversae: philologica, palaeographica, diplomatica, historica, epigraphica etc. docent. Ergo potest certo sciri, quid auctor testatus sit.

b) De eius *scientia* potest constare, si est ipse testis *immediatus*, ut in I. parte thesis; si vero est testis *mediatus*, potest constare: 1º ipsum diligenter inquisivisse in testimonium immediatum¹⁾; 2º eum consentire cum relatione aliorum et tamen independentem esse ab aliis, ut apparet in Evangelistis; 3º esse facta gravia, illustria vel publica, quae nemo ignorare potuerit (Luc. 24, 18).

c) Tandem de eius *veracitate* potest constare, 1º criteriis *internis*: a) si ex stilo et lingua apparet esse hominem simplicem, sincerum, minime partium studiosum, neque amore vel odio abreptum, neque opinionibus praeoccupatum; b) si enarrat, quae sibi ipsi vel suis dedecori sunt, e.g. apostoli de sua ignorantia, aemulatione, fuga etc.; c) si enarrant facta publica, quae omnes sciunt vel investigare possunt, vel res eorum indolem valde superantes, ut ipsi invenire non potuerint (Rousseau de Evangelio²⁾); d) si ipsis ex scriptis suis nulla utilitas speranda, immo potius damna, odia, persecutions, mors est timenda, e.g. Evangelistis.

2º *Ex criteriis externis*: a) testimonia externa de bona vita, indole vel honestis moribus scriptoris; b) si constat, ipsum pro testimonio a se exhibito omnia mala et mortem ipsam potius subiisse, quam quod dixerit et scripsierit retractasse, ut Evangelistae.

Atqui attento hoc vel illo argumento, et a fortiori multis simul sumptibus potest constare et quidem saepe non solum morali, sed etiam physica et metaphysica certitudine, scriptorem aliquem librum certe composuisse et fide dignum esse. Ergo etiam testimonium scriptum veram gignit certitudinem.

Scholion: Critici historici saepe adhibent *argumentum ex silentio*, quod tunc solum valet, si omnino constat, auctorem aliquid, quod omisit, scire et referre debuisse, ut inferri possit, factum ipsum locum non habuisse. Iam vero saepe difficillimum est probare, auctorem aliquid *scire* debuisse, quum tot possint esse causae ignorantiae nostrae, praesertim temporibus remotis, quibus, arte imprimendi nondum inventa, tam pauci erant libri et media communicationis mutuae, si nostris cum temporibus comparantur, admodum difficultia. Adhuc minus constare potest, aliquem scriptorem debuisse aliquid *referre*, si scivisset; quot enim causae et subiectivae et obiectivae aliquid reticendi adesse possunt? quis hominis sensum potuerit scrutari? Ex eo, quod S. Iohannes institutionem sacrae coenae non retulit, licet ipse solus promissionem eius enarraverit, quis inferre vellet, sacram coenam non

¹⁾ Vide Luc. I, 1. ²⁾ Cfr. Disteldorf, l. c. p. 92.; Brors, Die Wahrheit, II, p. 84.

esse institutam? Unde eiusmodi argumenta ex silentio magnam possunt nonnunquam probabilitatem creare, vix autem unquam veram certitudinem.¹⁾

Obi. 1. Homine rationali non dignum est credere, sed scire: dist.: quoad omnes veritates — nego; quoad multas, subd.: si per se scire vel invenire potest — conc.; alias — nego.

2. Atqui indignum est homine, quoad ullam veritatem hominibus credere, quia testimonia humana toties fallunt; dist.: per se — nego; per accidens, subd.: si nunquam de veritate constare posset — conc.; alias — nego.

3. Atqui nunquam de veritate testimonii constare potest; nam testem immediatum verum referre, aut ex ipsis testimonio constat, aut aliunde. Atqui si primum, est petitio principii; si alterum, testimonium eius est inutile. Ergo nunquam de testimonii veritate constat.

Resp. 1º Nego disiunctionem et addo membrum omissum: aut ex mea vel aliorum experientia eius auctoritas *a priori* constat.

2º Dist. minorem quoad Iam partem: si ex ipsis testimonio priori *ad dico* constat — conc.; si ex indole testantis mihi antea nota vel ex testimonio his vel illis adjunctis exhibito, e.g. cum magno damno constat — nego; quoad IIam partem: aut aliunde constat, i.e. si *veritas* testata mihi aliunde constat — conc.; si *auctoritas* testantis mihi aliunde constat — nego.

4. Atqui veritas testata deberet percipi ex testimonio qua tali; nam si ex adjunctis vel experientia repeteretur, tota vis testimonii esset in ratione, non iam in alio fonte, i.e. auctoritate; dist.: si veritas testata ad physicam vel metaphysicam certitudinem reducitur — conc.; si de sola certitudine morali agitur, subd.: si adjuncta testimonii seu experientia mea vel aliena essent ratio formalis testatam credendi veritatem — trans, vel conc.; quum sint conditio; iterum dist.: et hoc probat auctoritatem esse fontem *extrinsecum* veritatis aliosque supponere — conc.; probat eam nullum esse in se fontem veritatis — nego.

5. Atqui saltem testimonii *mediati* veritas (et hoc valet etiam de testimonio scripto) est respuenta; nam ut possit esse certa, deberet prius constare de scientia et veracitate testis; dist.: ut habeatur certitudo philosophica moralis vel physica vel metaphysica — conc.; ut habeatur naturalis certitudo, moralis, subd.: si adest prudens dubium — conc.; si solum adest dubium imprudens — nego.

Atqui si agitur de teste mediato nobis ignoto non possumus esse certi de eius scientia et veracitate; dist.: semper physice vel metaphysice certi — conc.; moraliter, subd.: nunquam — nego; semper, iterum dist.: et tunc fides est rationalis — nego; alias — conc.

Ergo testimonium mediatum est respendum — nego.

6. Atqui nullo modo potest certitudo testimonii mediati haberi; nam Locke et Laplace recte videntur obicere, veritatem testatam eo magis obscurari, quo plures testes sunt intermedii, quemadmodum lux decrescit ratione inversa distantiae corporis lucentis, ita ut tandem evanescat.

Resp. 1º Retorquo: Alexandrum vixisse et Dareum vicesse est veritas per plus quam duo milia annorum traditione propagata. Ergo nunc minus certa est, quam fuit ante 1000 annos?

¹⁾ De Smedt, l. c. 226 sq

2º Nego paritatem; non agitur hic de vi mechanica, sed de vi spirituali, quae aliis legibus regitur; deinde constat, saepe facta historica decursu temporis magis magisque innotuisse vel inquisitione historica vel inventis novis documentis; „commenta quidem hominum delet dies“; sed veritas manet in aeternum.

3º Dist.: si agitur de fama vulgari — conc.; si de facto certo, illustri publico, quod semper examini subici possit — nego.

7. Atqui saltem testimonium de factis miraculosis reiciendum est; nam Hume¹⁾ recte opponere videtur, testimonium de facto miraculoso ad summum efficere certitudinem moralem.

Atqui leges physicae repugnantes miraculo efficiunt certitudinem physicam, maiorem morali.

Ergo certitudini physicae utpote maior credendum est, miraculum non esse factum.

Dist. maior: testimonium non efficit nisi certitudinem moralem per se — conc.; per accidens — nego; potest enim nonnunquam ad physicam et metaphysicam reduci.

Transeat minor per se; posset enim etiam distingui: leges physicae repugnant miraculo, i. e. miraculum non fit secundum leges physicas — conc.; excludit omnes vires physicas et fit contra leges physicas — nego; nulla est enim lex physica, quae prohibeat miraculum.

Dist. consequens: certitudo physica excludit moralem, per se, i. e. in se est maior — conc.; per accidens, i. e. si certitudo moralis ad physicam vel metaphysicam reducitur — nego.

8. Atqui certitudo physica semper est maior morali ac proinde eam excludit; nam iure Diderot videtur obicere, non esse miraculum, homines mentiri.

Atqui potius credendum est, miraculum non esse factum, quam esse factum. Ergo potius credendum est, homines mentiri, quam miraculum esse factum.

Resp. 1º Refordeo: Non est quidquam extraordinarium, homines mentiri. Atqui potius credendum est, aliquid extraordinarium, e. g. lapides de coelo cecidisse, non esse factum, quam esse factum. Ergo potius credendum est homines mentiri, quam lapides de coelo cecidisse (Meteorsteine).

2º Dist. maior: Ordinarie non est miraculum, homines mentiri — conc.; nunquam esset miraculum, etiamsi certitudo moralis ad physicam vel metaphysicam reducitur — nego.

3º Dist. minor: Potius est credendum, miracula non esse facta, quam facta, si non adsunt rationes saltem moraliter convincentes — conc.; si adsunt rationes non solum moraliter, sed saepe etiam physice, immo metaphysice convincentes — nego.)

Appendix:

Sensus naturae communis.

(1. *Notio*: Constat homines tum rudes tum doctos omnibus temporibus ubique terrarum de veritatibus quibusdam consentire, quae neque ex experientia vel externa vel interna, neque ex immediata

¹⁾ Cfr. Disteldorf, l. c. p. 65.

evidentia sive intuitu mentis derivari possunt, sed quoddam ratiocinum licet confusum et indistinctum supponunt et rationibus evidenter aliunde probari possunt.) Eiusmodi iudicia sunt: existit Deus et mundum gubernat; bonum faciendum, malum fugiendum; erit praemium virtuti, poena vero vitio; suum cuique tribuendum; parentibus et auctoritati est obediendum; anima humana est immortalis; erit altera vita vel felix vel infelix; est ordo naturae constans; est discriminus essentiale inter viventia et non viventia, nil fit casu, etc. Haec persuasio dicitur oriri ex *sensu naturae communi*.

2. *Natura sensus naturae communis*: Sensus hic non confundendus est cum sensu interno communi sensitivo, neque cum conscientia directa, (quae solum actus internos nobis manifestat; neque cum conscientia morali, quae principia rationis applicat ad modum nostrum agendi neque tam late patet quam sensus communis. Neque consistit in auctoritate humani testimonii, neque idem est ac „sana mens“ (gesunder Menschenverstand), quae cuique propria est neque locum habet, nisi hic et nunc agendum sit. Neque est ille sensus communis distinctus ab aliis facultatibus mentis, quem Reid statuit, ut inde assensum in veritates evidentes explicet, qui simul sit criterium universale veritatis; cui sententiae etiam Cartesiani, Leibnitziani, necnon Balmes, non recte sentientes de criterio universalis veritatis, aliquo modo adhaerebant.) Sed ille *sensus naturae communis* est ipsa ratio nostra, in quantum est naturaliter disposita, ut quasdam veritates vitae humanae maxime necessarias magna cum facilitate et quasi sponte apprehendat; non quod illae veritates sint nobis innatae, sed quia facili arguento nobis probantur. (Unde homines etiam rudissimi et ferocissimi assentiuntur his veritatibus non caeco quodam instinctu, sed propter earum intrinsecam evidenciam, confuse et indistincte, implicite quidem, certo tamen cognitam. Ac proinde sensus naturae communis non constituit novum fontem cognitionis ab intellectu distinctum, sed est idem ipse fons secundum speciem aliquam rationem.

3. *Obiectum*: Sensus naturae communis obiectum non sunt quaeunque veritates, de quibus homines consentiunt, ortae sive ex experientia, e. g. mundus existit, sive ex intellectu, e. g. $2 + 2 = 4$; unde Reid et alii obiectum sensus naturae communis plus iusto extendebant. Sed proprium eius obiectum sunt illae veritates, quae necessariae sunt ad vitam privatam civilem, moralem, religiosam eiusque quasi fundamentum constituant, ut ex exemplis supra allatis appareat. Unde signa harum veritatum sunt:

a) Ut persuasio de eis sit spontanea, i. e. ut fiat natura rationali duce et magistra, non ex prævia aliqua institutione vel doctrina; neque ex experientia externa, licet neque institutio humana neque